

285

283

289

279

294

274

334

234

384

184

Ende

Anfang

270

ruentes in amplexus et oscula cum multis lachrymis ab invicem divisi fuerunt, per mundum universum, tres in orientem, tres in occidentem, tres in meridiem, tres in septentrio-
nem, in quatuor partes mundi. Profecti sunt autem Matthaeus, Thomas et Bartholomaeus cum discipulis eis adhaerentibus in orientalem plagam; Petrus vero, Andreas et Jacobus major in occidentalem cum eis adhaerentibus. In meridionalem autem processerunt Jacobus, Johannes et Matthias cum eorum discipulis. In septentrio-
nalem vero Symon et Thadaeus et Philippus cum eorum sociis praedicantes ubique, ut mundum quadratum fide Trinitatis insignirent. Stetimus ergo in hoc loco, et gratias Deo egimus, qui ab hinc sanctos misit per mundum Apostolos, quorum fide fulgentes huc reducti sumus. Prostrati itaque in terram indulgentias accepimus (†). In hoc loco venit mihi in memoriam lamentabilis quaedam separatio et divisio fratrum meorum Conventus Ulmensis, cui et ego interfui, quae fuit facta anno Domini 1476 ipso die divisionis Apostolorum. Quia enim adhaesimus domino Papae et Roma-
na ecclesiae, uti dignum, justum et sanctum erat, imo et necessarium, coacti fuimus exire conventum et civitatem Ulensem, et divisi fuimus in conventus per provinciam: nolebamus enim profanare et contra apostolica mandata facere, et tenuimus interdictum soli, et subjecimus nos epis-
copo dato per papam et confirmato, et non electo per capitulum et manutento per imperatorem. Verum tribus mensibus exulavimus et reformata pace cum magna gloria et honore revocati fuimus. Decrevimus ergo diem divisionis Apostolo-
rum perpetuis temporibus durante Conventu solemniter sub toto dupli festo celebrare, in perpetuam rei memoriam, ut posteri nostri discant et sciant, quod propter nullam tribula-
tionem debeant apostolicis mandatis contraire: sed potius exulari, imo et mori. Valde multa sustinuimus tempore inter-
dicti, quasi duobus annis durante etc.

Oratorium S. Johannis Evangelistae, in quo Missam celebavit, Virginique Mariae sacramenta ministravit.

(105A) A loco praefato recedentes consequenter venimus ad locum valde devotum, ubi quondam stetit oratorium, in